

judic. Atqui talis est sententia lata sub conditione de futuro: quia verbum *Condemno, Absolvo*, debet esse presentis temporis, non futuri; nam futurum non disponit; ergo. Hoc ipsum confirmatur ex l. *Non dubium. c. de Legib.* et reg. 64. jur. in 6. ubi dicitur: « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. »

93. *Nec valet, si proferatur sub conditione extrinseca.* — Resp. II. Etsi regulariter non valeat sententia lata sub conditione, ut dictum: istud tamen locum duntaxat habet, quando sententia profertur sub conditione extrinseca; veluti, si navis ex India advenerit, aut hujusmodi: secus vero, si ea feratur sub conditione extrinseca, seu dependente a natura negotii in iudicium deducti. Ita Glossa fin. l. *Cum Judex.* et Bartolus, ibid. ff. *de Sententiis et interloc. omn. judic.* et alia Glossa l. *A Divo. §. Capiantur.* ff. *de Re judicat.* Abbas, c. *Præterea.* 40. n. 10. *de Appellation.* id exemplificant de sententia lata sub conditione: « Condemno te, si actor juraverit, » vel, « Excommunico te, nisi intra tale tempus satisfeceris, » juxta textum ibid. Jason l. *Admonendi.* n. 61. et seqq. ff. *de Jurejurand.* et Fagnanus, in c. *G. Perpetuus.* n. 24. *de Fide instrument.* citans alios. Accedit ratio, quia a sententia lata sub conditione debet appellari infra decem dies, et quidem computandos a die latæ sententiæ, et non a die evenientis conditionis, cit. l. I. § *Biduum.* ff. *Quando appellatum sit.* et can. *Biduum.* 2. q. 6. Sed non foret opus appellatione, nisi sententia lata sub conditione intrinseca, foret valida; cum sententia invalida nunquam transeat in rem judicatam, juxta dicenda n. 114. et seqq. sicque opus non sit appellatione.

94. *An valeat sententia lata sub conditione extrinseca?* — Additur tamen, « sub conditione intrinseca. » Nam oppositum esse dicendum de sententia lata sub conditione extrinseca, videntur convincere jura, et rationes n. 9. allatæ. Quinimo Sigism. Scaccia, tract. *de Sentent. et re judicat.*; Gloss. 14. quæst. 14. n. 33. et n. 56. ac seqq. generaliter docet, quod non solum sententia lata sub conditione extrinseca sit nulla; sed etiam sententia lata sub conditione intrinseca de futuro, ut puta, « Si probaverit. » Tum quia (inquit) iudex debet ferre sententiam certam: atqui talis non est hæc, cum se referat ad probationes futuras, pendentes ab incerto eventu; tum quia ordo judiciarius exigit, ut

probationes fiant ante sententiam durante instantia, et non postea: hoc enim foret præposterare ordinem judiciarium. Ita inter alia discurren Scaccia, loc. cit. n. 28. et seqq.

95. *Quid dicendum de praxi tribunalium, absolventium reum sub conditione: Nisi actor melius suam intentionem probaverit.* — Dices. In multorum locorum tribunalibus usu receptum est, ut reus absolvatur a petitione actoris, addita hac clausula: « Nisi possit actor intentionem suam melius, quam in actibus præcedentibus factum est, probare; idque si intra unum, vel alterum mensem præstiterit; fiet tunc, quod juris est, » etc. Atqui talem praxin tribunalium damnare non facile licebit; ergo. Resp. Licet non possit negari, quin hæc sententia sit conditionata, nihilominus eam valere: idque vel juxta sententiam Glossæ, Bartoli, Abbatis, Jasonis, Fagnani, et aliorum volentium, quod sententia lata sub conditione intrinseca (qualis est hæc) bene valeat: licet secus sit de sententia lata sub conditione extrinseca, ut proxime dictum. Vel saltem (uti vult Engel, h. t. n. 10.) valet talis sententia ob receptam quorundam locorum, seu tribunalium consuetudinem, quæ rigori juris præjudicare potest, cum videatur rationabilis.

96. *Consuetudo ferendi sententiam sub tali conditione, videtur rationabilis.* — Et quidem, quod ejusmodi consuetudo non sit irrationalis, ac proinde accedente usu longævo possit derogare juri positivo humano, per textum in cap. ult. *de Consuetud.* ex eo desumitur. Quia per ipsam sæpius liberantur partes ab onere appellationis, dum post talem sententiam novas probationes, atque exceptiones postea repertas, coram eodem iudice proponere possunt: ubi alias superiorem iudicem de rigore juris adire deberent, non sine magno plerumque incommodo, gravibusque expensis.

97. *Sententia diffinitiva debet continere absolutionem, vel condemnationem.* — Quæritur V. Utrum sententia debeat continere non solum absolutionem, vel condemnationem, sed etiam causam ipsius? Resp. I. Certum est, quod sententia diffinitiva debeat continere absolutionem, vel condemnationem, l. I. ff. *de Re judicat.* et l. *Præses. c. de Sentent. et interlocut. omn. judic.* cum similibus. Idque vel expresse, sive claris verbis reum condemnando, aut absolvendo; vel saltem tacite, ac virtualiter. Nam et istud posterius sufficere, probat textus in l. *Quid tamen si de pluribus.*

§ *Si arbitri ff. de Receptis arbitr.* ubi Bartolus, in sumuario legit: « Qui pronuntiat, nihil videri debitum, debitorem absolvere videtur. » Abbas, c. *In his.* n. 12. *de Verb. signif.* juncto textu ibid. dum dicitur, per verbum *Statuo*, et *Præcipio*, diffinitivam sententiam ferri posse. Vallensis, h. t. § 3. n. 13. et alii.

98. *Non tamen causam ipsius, regulariter loquendo. Imo fatuum est, in sententia exprimere causam ejus; et cur?* — Resp. II. Sententia regulariter loquendo non necessario debet continere causam, quæ iudicem movit ad absolvendum, vel condemnandum. Ita textus in c. *Sicut nobis.* 16. h. t. Nam, « quando constat sententiam a iudice suo prolatam, propter auctoritatem judiciariam, præsumi debet, omnia legitime processisse; » prout ibid. § fin. argumentatur pontifex. Quinimo, ut post Innocentium notat Joan. Andreas cit. c. *Sicut nobis.* n. 7. et Abbas ibid. n. 11. h. t. et Engel, eod. n. 26. non solum non tenetur iudex ad exprimendam causam; sed etiam fatuum est, eam exprimere: quia facile posset mala causa exprimi, et bona suppressi: et sic non valeret sententia, juxta dicenda n. 130. et 131.

99. *Solvitur instantia.* — Nec obstat can. *In tantum.* dist. 21. ubi Glossa ait, quod iudex teneatur exprimere causam; si tamen non expressit, teneat sententia. Resp. enim, illam Glossam quoad priorem partem communiter relinquere: quamvis enim iudex possit apponere causam, quæ ipsum movit ad sententiandum; ad hoc tamen regulariter non tenetur, juxta textum in cit. c. *Sicut nobis.* juncta Glossa §. *Exprimantur.* et doctoribus ibid. h. t.

100. *In certis casibus debet in sententia exprimi causa ipsius. Ut in causa appellationis; idque exemplificatur.* — Additur tamen, « regulariter. » Dantur enim certi casus, per Glossam cit. c. *Sicut nobis.* §. *Exprimantur.* Joan. Andream n. 9. aliosque doctores ibid. relati, in quibus iudex tenetur apponere causam suæ sententiæ. Sic accidit imprimis in causa appellationis: nam in ea debet exprimi causa, quare prior sententia revocetur ut per hoc prioribus iudicibus non imputetur. Glossa cit. c. *Sicut nobis.* §. *Exprimantur.* et Joan. Andreas, n. 9. et Abbas, ibid. n. 11. h. t.; Pirhing, eod. n. 11; Speculator tit. *de Sententia.* § *Qualiter.* n. 14. et alii. Idque patet ex c. *Cum Bertoldus.* 18. § *Licet autem.* h. t. pontifex, ad quem appellatum fuerat,

revocatur priorem sententiam dixit, archiepiscopum, qui eam tulerat, fuisse circumventum, etc. Similiter c. *Cum Joannes.* 10. § fin. *de Fide instrument.* Papa revocaturus ejusmodi sententiam, apponit causam ad parcendum honori priorum iudicum: eo quod « hujusmodi (inquit) exceptio coram ipsis nec probata fuerit, nec objecta. » Idipsum videre est in c. *Cum olim.* 14. § fin. *de Privileg.* ubi pariter papa reformaturus sententiam, reddit rationem talis revocationis; simulque priores iudices excusat, utpote « quibus (ait) libertatis privilegia non fuerant præsentata. » Idem ergo dicendum in similibus.

101. *Et in sententia excommunicationis.* — Secundo, tenetur iudex exprimere causa in sententia excommunicationis. Cum enim excommunicatio sit medicinalis, non mortalis: quisquam alterum excommunicat, debet excommunicationem in scriptis proferre, et causam excommunicationis expresse conscribere, ut sic alter respiscere, ipsamque causam excommunicationis per poenitentiam et debitam satisfactionem tollere valeat, text. clar. c. *Cum medicinalis* § 1. *de Sentent. excommunicat.* in 6.

102. *Item in aliis quatuor casibus; et quibus?* — Tertio debet exprimi causa in sententia, ubi Reus absolvitur propter ineptam petitionem actoris in libello factam: idque merito, ne alioquin actori pereat jus agendi, seu novam actionem instituendi, ex ignorantia causæ, ob quam Reus fuit absolutus; ut c. *Examinata.* 15. *de Judiciis.* Quarto, cum iudex a jure communi recedit sententiando; ut puta, non condemnando victum in expensis, Auth. *de Iudicibus.* § *Oportet.* collat. 6. Vel non recipiendo alterius appellationem, l. *Sciendum.* ff. *de Appellat. recipiend.* Quinto, cum secundum legem (scilicet l. *Properandum.* c. *de Judiciis*) absolvitur quis ab instantia iudicii: tunc enim debet iudex exprimere, per quem stetit, quo minus causa diffiniri potuerit, ne ex toto pereat actori jus agendi, cit. l. *Properandum.* § *Illo procul. dubio.* juncta Glossa. ibid. §. *Sententia.* Sexto, quando absolvitur reus in rei vindicatione ex eo duntaxat, quia tempore latæ sententiæ non possidet: ne forte postea Actori, ex nova causa agere volenti, obstet rei iudicatæ exceptio, cap. penult. *de Exceptionib.* Atque hosce sex casus, in quibus causa in sententia debet exprimi, enumerant Speculator, Joan. Andreas, et Abbas, ubi supra, et Pirhing, h. t. n. 11.

103. *In memoratis casibus debet causa in sententia exprimi duntaxat propter certos effectus.* — His adde, quod etiam in memoratis casibus, per se loquendo, non requiratur expressio causæ in sententia; adeoque valeat sententia, si hæc nemine opponente sine expressione causæ lata fuerit. Siquidem in his ipsis casibus debet causa in sententia exprimi duntaxat propter certos effectus, qui ex tali sententia oriri possunt: puta, ut excommunicatus a sua contumacia respiscere possit: vel ne actori pereat jus de novo agendi, aut hujusmodi: prout facile colligitur ex dictis, atque amplius decorat Abbas loc. cit. n. 12.

104. *Idem potest contingere in nonnullis aliis casibus.* — Idem contingere potest in nonnullis aliis casibus, ac proinde debet exprimi causa in eorum sententiis ob certos effectus. Sic enim damnatus ex una causa efficitur infamis, non item ex alia: prout tutor remotus a tutela ob dolum commissum, redditur infamis: non litem, si removeatur ob negligentiam tantum, l. III. et IV. ff. de *Suspectis tutorib.* Unde ad irrogandum effectum infamiae exprimi debet, quod ob commissum dolum amotus fuerit: alioquin enim, si in sententia istud non exprimitur, ea in meliorem partem interpretari debet; sicque non intelligitur ex causa famosa damnatus, seu remotus, l. *Hæc enim causæ.* ff. eod.

§ IV.

DE RE JUDICATA, VELUTI PRÆCIPUO EFFECTU
SENTENTIÆ DIFFINITIVÆ.

105. *Res judicata potest dupliciter accipi, large et proprie; et quid sit?* — Quæritur I. Quid sit tempore res judicata, et quo sententia dicatur transire in rem judicatam? Resp. I. « Res judicata » potest dupliciter accipi: primo largo modo, si pro ipsamet sententia, quæ imponit finem controversiæ per absolutio-nem, vel condemnationem. Sic res judicata accipitur in l. *Litigatoribus.* C. de *Appellation.* ibi: « Litigatoribus copia est, illico appellare voce, cum res poposcerit judicata: » id est, cum lata est sententia rite; prout explicat Glossa *ŷ. Judicata*, et Bartolus, ibid. ac notat Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. de *Sententia.* n. 128.

106. *Secundo, et proprie « Res judicata » dicitur sententia, quæ post lapsum decem die-*

rum accepit auctoritatem, ac vires rei judicatæ; adeo ut pro veritate accipiatur, et postea retractari non possit, atque contradicere volens amplius non audiatur. Et de re judicata, taliter sumpta procedit reg. 207. ff. de *Reg. jur.* « Res judicata pro veritate accipitur. » Quod ipsum habetur in l. *Ingenium* ff. de *Statu liberis.* Unde sententia illa quæ in rem transit judicatam, tantæ est auctoritatis, ut de ente faciat non ens, et de falso verum, et de albo nigrum, secundum Jasonem, l. *Julianus verum debitorem.* n. 2. ff. de *Condition. indebit.* et Marantam, loc. cit. n. 129. Atque in hac posteriori acceptione nunc sermo est de re judicata.

107. *Præcipuus sententiæ diffinitivæ effectus est, ut regulariter post decendum, si ab ea non appellatur, transeat in rem judicatam.* — Resp. II. Præcipuus sententiæ diffinitivæ effectus est, quod regulariter loquendo, si ab ipsa infra decem dies per condemnatum non fuerit appellatum, ejusmodi sententia transeat in rem judicatam; adeo, ut postea retractari non possit, et contradicere volens amplius non audiatur. Ita communis: atque habetur clare decisum in Auth. de *Appellation.* et *intra quæ tempora,* etc. can. *Anteriorum.* 2. q. 6. ubi revocato biduo, vel triduo, antiquitus ad appellandum duntaxat concessio, « sancitur, omnes appellationes posse intra decem dierum spatium, a recitatione sententiæ numerandorum, judicibus a iis, quorum interest, offerri. » Concordat c. *Cum inter.* 13. et c. *Quod ad consultationem.* 15. h. t. in quo posteriori loco pontifex sic loquitur: « Cum post decem dierum spatium, sententia in auctoritatem rei transeat judicata: qui ad provocationis subsidium intra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit: cum per hoc videntur per interpretationem juris latæ sententiæ paruisse. » Hæc ibi.

108. *Et cur? Victus non appellans, vere non consentit in sententiam, sed fecte: neque victor, sciens sententiam injustam, potest rem sibi adjudicatam tuta conscientia retinere.* — Atque istud tum propter juris, et judicis auctoritatem, ob quam præsumuntur omnia rite celebrata, ex quo non fuit appellatum a sententia, c. *Sicut nobis.* 46. § fin. h. t.; tum propter partis non appellantis tacitum consensum, sui que, si quod habuit, juris renuntiationem, l. ult. c. de *Sententia, quæ sine certa quantitate,* etc. et l. *Ab eo.* C. *Quomodo et quando,* etc. Quanquam victus non appel-

§ IV. DE

lans, vere non consentiat, sententiæ, sed fecte duntaxat: ac proinde ex sententia condemnatoria injusta, seu quam victor novit esse iniquam, non oriatur obligatio naturalis; neque victor ille tuta conscientia possit retinere rem sibi adjudicatam, prætextu consensus per non appellantem sententiæ præfili. Quia (ut dictum) iste non consentit vere in sententiam, sed fecte, ac ex præsumptione seu interpretatione juris: alioquin enim sæpe quis omittit appellationem, execrans litem, et timens vexationem judiciorum. Abbas, c. *Quod ad consultationem.* n. 7. h. t.

109. *Sententia transiens in rem judicatam, habet pro se præsumptionem juris et de jure.* — Cæterum loquendo pro foro externo, sententia, quæ transivit in rem judicatam, in posterum habet pro se præsumptionem juris et de jure, quod sit justa, parsque condemnata in eam consenserit, cit. l. *Res judicata.* ff. de *Reg. jur.* et d. c. *Quod ad consultationem* 5. h. t. atque notat Abbas, cap. ult. n. 32. de *Præscription.* et communis. Ita quidem, ut postea admittatur probatio in contrarium, etiam prætextu instrumentorum de novo repletorum; ut c. *Suborta.* 21. § fin., h. t., ubi Abbas, n. 10. et 13. et idem Abbas, c. *Consanguinei.* n. 12. eod. concordat textus in l. *Sub specie.* de *Re judicat.* ibi: « Sub specie novorum instrumentorum postea repletorum res judicatas restaurari, exemplo grave est. »

110. *Tempus decem dierum concessum ad appellandum, quando incipiat currere?* — Quod si petas, quando incipiat currere tempus decem dierum, concessum ad appellandum contra sententiam? Respondetur, juxta cit. Auth. de *Appellation.* et can. *Anteriorum.* 2. q. 6. decendum istud esse computandum « a recitatione sententiæ: » uti liquet ex verbis n. 107. allegatis.

111. *Decendum istud currit de momento in momentum ab hora latæ sententiæ. Tempus omne currit de momento in momentum, ubi aliud a jure non exprimitur.* — Unde decendum hoc incipit ab hora latæ sententiæ, curritque de momento in momentum, Joan. Andreas, c. *Super eo.* 12. n. 10. et Abbas, ibid. n. 12. de *Appellation.* qui pro regula ponunt, quod omne tempus currat de momento in momentum, ubi aliud a jure non exprimitur Engel, tit. de *Appellation.* n. 39. Ita tamen, ut adhuc decimo die (ante completum ultimum ejus momentum) possit appellari, arg. can. *Propter superfluum.* 2. q. 6. ac notat Glossa

cit. can. *Anteriorum.* *ŷ. Dierum.* Et si sententia fuit lata in absentem, qui nec per procuratorem defensus fuit (puta, quando absens damnatus non propter contumaciam veram) tunc decendum illud currere incipit primum a die scientiæ de lata sententia: ut dicitur l. I. § fin. et § *Dies autem* ff. *Quando appellandum sit:* ubi summarium inquit tempus appellationis interponendæ esse utile quoad initium, continuum quoad processum. Glossa in Auth. *Hodie autem.* *ŷ. Assententivæ.* c. de *Appellation.* Secus, si absens agebat per procuratorem: quia, si ejus procurator non appellavit, elapso decennio non auditur: nisi forsitan procurator non sit solvendo cit. l. I. § fin. ff. *Quando appellandum sit,* juncta Glossa fin. et marg. ibid.

112. *Sententia non solum diffinitiva, verum et interlocutoria, post decendum transit in rem judicatam.* — Adde tamen præmissis, quod non sententia diffinitiva, verum etiam sententia interlocutoria transeat in rem judicatam, si ab ea inter decendum non appelletur ut dicitur c. *Cum dilectus.* 32. § fin. de *Election.* et notat Abbas, cap. II. n. 14, et 15. *De in integrum restitut.*

113. *Transit etiam sententia in rem judicatam, quando appellatio fuit deserta.* — Resp. III. Insuper sententia transit in rem judicatam, quando inter decendum ab ea quidem appellatum est, postea tamen appellatio fuit deserta. Textus est in Auth. *Ei qui appellat.* C. de *Temporib. appellation.* ubi sic habetur: « Ei qui appellat impertitur annus, intra quem secundum se communiterve cum adversario litem exequatur: aut si justa causa intercesserit, alius annus indulgeatur: quo transacto, lite non completa, rata manet sententia: » ac si non fuisset appellatum, prout subjungit Glossa ibid. *ŷ. Manet sententia.* Ad-ditur tamen num 107. « regulariter loquendo, » propter illico dicenda. Unde

114. *Dantur plures casus, in quibus sententia post decendum non transit in rem judicatam.* — Quæritur II. An dentur nonnulli casus, in quibus sententia post decendum non transit in rem judicatam; et qui? Resp. I. Dari plures hujusmodi casus; adeo, ut eorum viginti quator enumeret Maranta, part. VI. *Speculi Aurei.* tit. de *Sententia.* etc. n. 128. et seqq. quorum præcipui sunt sequentes.

115. *Sic sententia lata contra jus constitutionis, non transit in rem judicatam.* — Primo quidem, ac generatim loquendo, sententia, quæ fuit lata contra jus constitutionis ipso